

eadem privilegio fruitur etiam Clericus, qui vel sine Episcopi mandato, vel non illi servit Ecclesie, quam Episcopus designavit. Consule Benedictum XIV. de *Synod. diocess. lib. 12. cap. 6. num. 5. et 6.*

(3) Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de reform.*

(4) Vide Benedictum XIV. de *Synod. diocess. lib. 12. c. 2. num. 4.*, & Giraldum *loc. cit. pag. 940.*, à quibus plura ea de decreta referuntur.

(5) *Cap. unic. de cler. conjug. in 6.*, Concilium Tridentinum *loc. cit.* Sunt qui putant, clericos conjugatos gaudere privilegio fori tantum in causis criminalibus, sed eos hoc frui privilegio oportere in causis criminalibus, & civilibus, modo ea præsent, quæ prestare necesse est, respondit Sac. Congregatio Immunitatis, uti testantur Riccius *Decret. et Resol. Sac. Congreg. Immunitatis verb. clerici conjugati quoad privilegium fori et canonis*, & Ferraris *Biblioth. verb. clericus art. 2. num. 53. et seq.* Ceterum etiam clericos conjugatos, qui ea non præstant, ab Episcopo vindicari posse, ut adversus eos iudicium exerceat, respondit Sac. Congr. Concilii in *Alatrina jurisdictionis 17. Martii 1683.* Vide Giraldum *loc. cit.*, & Benedictum XIV. *loc. cit. cap. 3. num. 1.*

## TITULUS III

### DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS.

- I. & II. Hierarchia jurisdictionis, ejusque Magistratus, & Caput omnium.  
 III. Divisio dioceseon.  
 IV. Ex omnibus membris in unum collectis una fit catholica Ecclesia.  
 V. Episcopi particulares Ecclesiarum regunt.  
 VI. ad VIII. Caput Ecclesie universæ, centrumque unitatis, & necessitas jurisdictionis in hoc capite.  
 IX. ad XI. Minores Magistratus, & Ministri Hierarchiæ jurisdictionis.

#### §. I.

**D**emonstrata jam ordinis Hierarchia, nunc Hierarchiam explicabimus, quæ jurisdictionis appellatur. Ea pertinet ad optimum Ecclesie regimen, quod ut recte consistat, suos habere debent Magistratus, sicuti suos habet civilis societas, qui impe-

rium exercent in illam hominum multitudinem, quibus societas constat, ne inter eos, si nemini pareant, necessario magna perturbatio, & confusio rerum omnium existat. Ea de causa creati sunt à Christo Episcopi, qui non solum spiritualia bona in homines conferrent, sed etiam essent præcipui Christianæ societatis Magistratus.

§. II. Sed inter hos Magistratus unus esse debet, qui ceteris præeset, societatemque universam regeret, ac moderaretur. Id postulabat divina sapientia Legislatoris, qui huic societati caput, & principem daret (1), atque illa unitas tum fidei, qua Christianos omnes convenire volebat, tum caritatis, qua cuncta Ecclesie membra inter se eodem pacis, & communionis vinculo copulari debent (2). Quæ enim esset hæc unitas, nisi unus esset toti Ecclesie præpositus, qui illam tueretur, & custodiret, quique omnes una fide, una caritate, una demum Ecclesia conjungeret? Itaque Petro, ejusque successoribus Summis Pontificibus datus est hic Primatus, ut per unum caput una esset Ecclesia, sive, uti loquitur Hieronymus (3), *ut capite constituto scismatis tolleretur occasio.*

(1) Utar testimonio heterodoxi hominis, sed philosophi, præstantissimi Guillelmi Leibnitii, qui ex ratione agnovit Primatus in Ecclesia necessitatem, & in eo etiam necessitatem jurisdictionis. Nam scribens de Romano Pontifice *epist. 8. tom. 1. epist. cd. Lips. an. 1734. pag. 55.* habet hæc: *Cum Deus sit Deus ordinis, & corpus unius Ecclesie catholice, et apostolice uno regimine, hierarchiaque universali continentum juris divini sit; consequens est, ut ejusdem sit juris supremus in eo spiritualis magistratus. . . directoria potestate, omnique necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesie agendi facultate instructus. Utor inquam hoc testimonio, ut omnes intellegant, quid sola possit recta ratio in homine vel heretico, sed ingenio præstante; ceterum Catholici omnes agnoscent hanc Primatus necessitatem, ejusque à Christo factam institutionem, quod dogma catholice fidei est; cujus quidem Primatus naturam egrè inter ceteros persecuti sunt Bellarminus de Romano Pon-*  
*Tom. I. R*

tifico lib. 1. & 2. fere per tot. pag. 251. & seq. tom. 1. opp. ed. Venet. 1721., Mamachus Orig. & antiq. christian. lib. 4. par. 2. cap. 1. & seq. tom. 5. pag. 5. pag. 1. et seq., Petrus Ballerinius De vi ac ratione Primatus Roman. Pontif.

(2) Confer Ballerinum loc. cit. cap. 8. et seq.

(3) Lib. 1. advers. Jovinian. cap. 26. col. 279. tom. 2. ed. Vallarsii Verone.

§. III. Apostolos misit Christus ad nunciandum Evangelium in universum orbem terrarum, neque inter singulas provincias, aut civitates distribuit. Sed ipsi deinceps, aucto Fidelium numero, divisionem illam instituerunt, quam necessariam esse existarunt, ut recta regiminis ratio constaret. Atque hinc prima est repetenda origo divisionis dioceseeos, & origo etiam Patriarcharum, ac Metropolitaram. Cuncta hæc ab Apostolis adumbrata deinceps ab Ecclesia absoluta, ac definite constituta sunt.

§. IV. Quare illa missio in orbem universum propria, & peculiaris fuit Apostolorum, per quos ubique nuncianda erat Christi religio (1); sed ea populis nunciata, & patefacta, certi sunt constituti fines, intra quos unusquisque Episcopus jurisdictionem exerceat. Hinc Patriarchis plures provinciarum, & nationes, Primatibus una natio, aut regnum, Metropolitans una provincia, Episcopis diocesis una data est. Horum quilibet imperium habet in illam terræ tractum, cui præpositus est. Sed ex his omnibus unum debet effici corpus, quale est Ecclesia catholica, effici autem nequit, nisi cuncta in unum conjungantur, conjungi vero non possunt, nisi omnia unum caput, & unum commune centrum habeant.

(1) Amplia illa potestas (semper tamen obnoxia Petro omnium capiti, & principi) quæ in Ecclesiarum regimine Apostolis data est, in uno Petro ordinaria fuit, ideoque ad ejus successores delata est, verum in ceteris Apostolis fuit extraordinaria, ne-

quo ad ejus successores transit, sed illorum obitu expiravit. Auctoritas Natalis Alexander Hist. Eccles. dissert. 4. ad sec. l. §. 4. to. 3. pag. 85. ed. Venet. 1776. cujus hæc verba sunt: summa potestas in Ecclesia non solum data est Petro, sed reliquis etiam Apostolis, et his quidem ut tanquam extraordinario munere, et cum eis interituro jungerentur. Unde omnes illud Pauli merito sibi vindicare poterant: instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Sancto vero Petro concessa est auctoritas illa suprema tanquam ordinario Pastori, cui perpetuo succederetur, Apostolica tandem auctoritate ad unum revocata. Unde S. Petri Sedes antonomastice Apostolica dicta est à S. Hieronymo, &c. Ita etiam docent Thomassinus, Hallierus, Petrus de Marca, Bossuetius, alique complures, idque confirmat Facultas Parisiensis, quæ damnavit M. Antonium de Dominis negantem nisi Sacris Scripturis dicerem potestatis inter Apostolos, eamque propositionem hæreticam, atque schismaticam declaravit intellectam de jurisdictione Apostolica ordinaria, quæ in solo D. Petro subsistebat. Consule Ballerinum de potest. eccles. Sum. Pontific. &c. cap. 1. §. 4. pag. 10. & seq. edit. Augusta Vindelic. 1770.

§. V. Itaque omnes Episcopi, qui suis præfecti sunt Ecclesiis, seu membris, quæ omnia in unum collecta una catholica Ecclesia continet, curare debent, ut particulares Ecclesiarum, quas regunt, in unum confluant commune centrum, atque uni capiti subjiciantur. Sic enim Ecclesiarum unitas efficitur, & conservatur, cum omnia membra unum caput agnoscent, & unum habent centrum, in quo conjunguntur.

§. VI. Commune hoc unitatis centrum, & hoc omnium caput Christus Petrum constituit. Sed cum ipse vita fungi deberet, Ecclesia autem usque ad consummationem sæculi esset futura, alius, eo mortuo, constituendus erat, qui Ecclesiam universam regeret. Itaque ad Petri successores transmissum est munus, & translata potestas, quod, & quæ Petro à Christo datum, dataque fuerat. Hi sunt Romani Pontifices, qui ipsum tenent in Ecclesia locum, quem vivens tenuit Petrus; hoc est locum



Capitis, & Capitis non ociosi, sed præditi, instructive potestate, quam habere debet Caput Ecclesiam regens.

§. VII. Non enim Christus hoc Caput constituit, ut vacuum, & inane nomen heberet, sed ut totius Ecclesiæ unitatem custodiret. Ex quo efficitur, ut ei dederit omnem potestatem, qua opus est, ut suas impleat partes; cum dici nequeat, Christum alicui dedisse munus, & non dedisse facultates, sine quibus munus ipsum exerceri non potest. Cujus rei consequens est, ut Primatus, quem Petrus, ejusque successores à Christo acceperunt, non tantum honoris, & dignitatis, sed etiam jurisdictionis esse debeat. Atque errant vehementer, qui cum ignorare non possint, Primatus instituendi causam fuisse unitatem tot hominum, & tot Ecclesiarum, ex quibus una efficitur Ecclesia catholica, aut nullum esse putant caput, per quod illa hominum, & Ecclesiarum multitudo conjungatur, aut caput fingunt inane, & ociosum, sine vi, & potestate, qua homines ad parendum cogat. Quemadmodum si quis exercitum conficeret sine Imperatore, aut Imperatorem daret, qui umbratile haberet nomen, vacuum potestate, & imperio, cui milites pareant, & per quod in officio contineantur.

§. VIII. Cumque Summus Pontifex omnes, quæ una catholica Ecclesia complectitur, diocesis, provincias, nationes cogere ad unitatem debeat, in omnes potestatem habeat necesse est. Ita ejus imperium, quod totam comprehendit Ecclesiam, fertur in omnes Patriarchas, Primate, Metropolitas, Episcopos; quoniam si quis esset eorum non obnoxius huic potestati, is impune disrumpere posset unitatem, quæ à catholica Ecclesia disjungi non potest. Atque hæc ecclesiasticæ hierarchiæ ratio est, ut Christiani omnes Episcopis, Episcopi Metropolitanis, Metropolitanæ Primatibus, ac Patriarchis, cunc-

ti demum Romano Pontifici subijciantur. Episcopi, Metropolita, Primate, Patriarchæ, & omnium Princeps Summus Pontifex proprie efficiunt hierarchiam, quæ jurisdictionis appellatur.

§. IX. Reliqui Magistratus creati sunt, ut auxilio esset Episcopis, jateque in eos derivata est pars jurisdictionis, quæ integra ad Episcopum pertinet. Hinc instituti Coadjutores, ut Episcopo impedito opem ferrent, Chorepiscopi, ut præsent oppidis diocesis, Vicarii, ut Episcopi vices gererent, ceteri demum Magistratus, quibus sub Episcopo certa in populum potestas data est.

§. X. Quin etiam quibusdam clericis tributum est certum officium sine jurisdictione, quibusdam, præter officium, etiam honoris prærogativa, & hinc ortæ Dignitates, Personatus. Officia, quæ omnia generali beneficiorum nomine comprehenduntur. Adjunctam habent Dignitatem ea beneficia, quorum Rectores, præsertim in cathedralibus, aut in collegiatis ecclesiis, & quadam fruuntur honoris prærogativa, sive præeminentia, & administratione, ac jurisdictione, ideoque tametsi cum reliquis canonicis corpus unum conficiant, ab iis tamen propter hanc administrationem, præeminentiam, & jurisdictionem distinguuntur. Personatum habere dicuntur ii, qui solum habent honoris prærogativam sine administratione, & jurisdictione (1); officium denique, qui administrationem habent, carent præeminentia, & jurisdictione.

(1) Personatus nomen primum in jure canonico adhibuisse Alexandrum III., illudque à Gallis sumpsisse tradit Cujacius in *tor. de præben. & Dignit. tom. 6. col. 962. edit. Mutin. sen Venet. 1778.*

§. XI. Generatim statui non potest, quæ beneficia inter Dignitates, quæ inter Personatus, quæ inter Officia sint referenda, cum unaque ecclesia

suas habet consuetudines, & quam Dignitatem in una ecclesia obtinet Archidiaconus, vel Archipresbyter, in altera eam Decanus, vel Præpositus, vel Primicerius obtineat. Itaque jurisdictio, præmentia, munus in omnibus ecclesiis Dignitatem, Personatum, Officium facit. Nos de omnibus ægum clericis, qui in ecclesia vel munus habent vel honoris gradum, vel jurisdictioem. Omne, enim referendi sunt ad hierarchiam jurisdictiois, quoniam omnes pertinent ad optimum ecclesie regimen, quo hierarchia spectat. Illud tamen inter clericos, qui jurisdictioem habent, interque clericos, qui ea carent, discrimen est, quod tantum Ministri sunt, illi vero sunt etiam, post Episcopos in ecclesiastica hierarchia Magistratus.

## SECTIO I.

### De Summo Pontifice.

- XII. Papæ nomen. cendunt.  
 XIII. Primatus honoris, & jurisdictiois. XX. Primatus totius Ecclesie adimi nequit Petri successoribus.  
 XIV. Summus Pontifex fidei controversias ex cathedra definitens errare non potest. XXI. Potestas Summi Pontificis Episcopalis, Metropolitica, Patriarchica, & potestas temporalis.  
 XV. ad XIX. Potestas, & iura, quæ ex Primatu des-

### §. XII.

Ordiamur à Summo Pontifice, cujus in ecclesiastica hierarchia supremum gradum, & summa potestas est. Is vocatur Papa à græco verbo *πάππας* latine *Pater*; quod nomen initio proprium fuit omnium Episcoporum (1); quin etiam sæpe ad minores quoque clericos translatum est (2). Sed jamdiu solus Romanus Pontifex eo nomine designatur (3); atque eum etiam Chalcedonensis Conci-

lii Patres *Episcopum universalem* appellarunt. Verum hoc nomen, in quod arrogantia Sedis Constantinopolitane audacter invaserat, recusavit S. Gregorius M. contentus modesto nomine *Servi Servorum Dei*, quo ipse primum uti cœpit (4), & quo nunc etiam Summi Pontifices utuntur.

(1) Vide Thomassinum *vet. & nov. eccles. disciplin. par. 1. lib. 1. cap. 4. & lib. 2. cap. 3. num. 17.*; & Mamachium *origin. & antiq. christian. lib. 4. par. 1. cap. 4. §. IX. nota 3. et seq. tom. 4. pag. 297. et seq.*

(2) Vide Du-Cangium *Glossar. med. et infim. græcitat. verbo πάππας & επισκοπος*, Mamachium *loc. cit. et not. 3. et seq.* Atque huc spectare videtur Walfridus Strabo *de rebus ecclesiis. cap. 7. in Biblioth. PP. tom. 10. col. 667. ed. Paris. an. 1624. Papa cujusdam paternitatis nomen est, et Clericorum congruit dignitati.* Hinc qui modo Archipresbyter, olim Protocopa dicebatur, & Innocentius III. *lib. 15. ep. 60. ad Archiep. Theb. pag. 623. tom. 2. ed. Baluzii Paris. 1682. prochiem appellat Papatum, secundum usum, & consuetudinem Græcorum, à quibus omnis Sacerdos Papa dicebatur.* Diverso tamen modo, uti recte est à Mamachio observatum *loc. cit. not. 1.*, Græci sœcunt vocem, cum Pontificem, & Sacerdotem Papam appellant.

(3) Jam inde à sæculo V. Summum Pontificem ob eminentem ejus dignitatem *Papam*, nullo alio addito, appellati cœpisse ostendit Thomassinus *vet. et nov. eccles. disciplin. par. 1. lib. 1. cap. 50. n. 14.* Sed ea de re vide Christianum Lupum *schol. in dictat. S. Gregorii VII. can. 11. tom. 5. opp. pag. 213. ed. Ven. 1725.*, Cajetanum *Cennium dissert. 5. inter ejus dissertationes Italicas Pistorii editas an. 1778. tom. 1. pag. 152. et seq.*, & librum *Del Primato dell' Apostolo S. Pietro, à dei Romani Pontifici suoi successori cap. 22. §. 20. pag. 45. et seq. et in not. X. pag. 47. et seq.*, ubi erudite agitur de Papæ nomine, de quo ceteris nominibus, quibus jure, & merito Romani Pontifices appellantur.

(4) Joannes Diaconus *in vit. S. Gregor. lib. 2. cap. 1. & 4. opp. S. Gregorii col. 45. ed. Maurin. Paris. 1705.*

§. XIII. Est autem Summus Pontifex jure divino Ecclesie caput, & centrum unitatis, Petri successor, Christi vicarius, omnium Christiano-



rium pater, & doctor, atque habet in tota Ecclesia primatum non dignitatis solum, sed etiam jurisdictionis (1). Quare Pontifex Christianos omnes honore antecedit, atque in omnes jurisdictionem exercet, cum habeat pascendi, regendi, & gubernandi universalem ecclesiam..... plenam potestatem (2).

(1) Conc. Florentinum in *defini. collect. Labbei tom. 18. col. 526. & 527.*, quod pridem etiam expresserat Conc. Lugdunense II. in *profess. fid. col. 512. tom. 14. cod. loc.* Testimonia celeberrima, quæ in primis à Patribus ex Evangelio afferuntur ad Petri, ejusque successorum primatum ostendendum, & ad quæ cetera referri commode possunt, sunt apud Matthæum XVI. 18. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalent adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum &c.*; apud Joannem XXII. 15. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; apud Joannem XXII. 32. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Recte agebat S. Bernardus ad Eugenium III. lib. 2. de *considerat. cap. 8. col. 428. vol. I. ed. Mabilonii Paris. 1719.* *Sunt quidem et alii cæli janitores, et gregum pastores... Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id problem queris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute, & indiscrete totæ commissa sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non glanum; non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nichil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte præsentibus ceteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnium commendaret in uno grege, et uno pastore... Inde est, quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesie, contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens.*

(2) Verba hæc sunt Concilii Florentini *loc. cit.* Confer etiam Concilium Lateranense IV. in *decr. 5. de dignit. Patriarchar. tom. 13. Concil. col. 937.*, Concilium Constantinense, à quo damnata est propositio 41: Joannis Wiclefi agentis: non est de necessitate salutis credere Romanam Ec-

clesiam esse supremam inter alias Ecclesias: *tom. 16. col. 121.*, itemque propositio 9. Joannis Hus *col. 249. ib.*, consule præterea fidei professionem, quæ apud catholicos ubique gentium obtinet, quamque Clerus Gallicanus à calumnias vindictæ hæreticorum *tom. 1. Afor. Cler. Gallican. p. 93. seqq. edit. Paris. an. 1716.*, et Expositionem fidei eidem Clero probatam *ibid. p. 190.* Videndæ autem in primis sunt Pii VI. Pontificis Maximi litteræ gravitatis, dignitatis, veritatis, auctoritatisque plenæ, quæ incipiunt. *Super soliditate*, datæque sunt die 28. Novembris an. 1786.

§. XIV. Multa hinc jura sunt, quibus potitur Romanus Pontifex, quia caput Ecclesiæ est, centrumque unitatis, quia Primatum habet ordinis, et jurisdictionis, quia regere, et gubernare, Ecclesiam universam debet. Nimirum cum unitas Ecclesiæ postulet, ut una sit omnium fidei, morum, ac generalium capitum disciplina consensio, consequens est, ut hæc regi, administrarique Romani Pontificis judicio, et auctoritate debeant. Itaque earum rerum, quæ ad hæc cuncta pertinent, Summus Pontifex ab omnibus certior est faciendus, quo spectat jus petendarum, accipiendarumque relationum (1), ipseque de his rebus controversias judicat.

(1) *Hæc enim optimum*, inquit Sardicensis Concilii Patres in *ep. synodic. ad Jul. I. apud Labbæum tom. 2. concil. col. 690. edit. Venet.*, et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri Apostoli sedem de singulis quibuscumque provinciis Domini referant Sacerdotes. Sane primo ipso Ecclesiæ sæculo Corinthii Clementem P. de eorum Ecclesiæ statu certiores fecerunt, ab eoque datæ sunt ad illos litteræ, quibus omnia considerata, et provisæ sunt, quæque extant apud Cotelium *PP. Apostolic. tom. 1. pag. 143. edit. Antwerp. 1698.*, et quas memorat Eusebius *histor. eccles. lib. 5. cap. 6. pag. 187. edit. Taurin. 1746.* Videndus idem Eusebius *lib. 4. cap. 23. pag. 160.*, ubi ostendit, quia reverentia Corinthii tum ipsas Clementis, tum Soteris ejus successoris litteras acceperint, et *lib. 5. cap. 3. pag. 184.*, ubi refert legationem II. Ecclesiæ sæculo missam à Confessoribus Lugdu-



neusibus ad Eleutherium Pontificem, pro Ecclesiarum statu. Conferat etiam rescriptum Innocentii I. ad Concil. Carthag. et ad Concil. Milevit. apud eundem Labbæum tom. 3. Concil. col. 44. et 47., Cyrillum Alexandrinum ep. ad Celestin. P. par. 1. Concil. Ephesin. cap. 14. col. 889. cod. tom. 3., Bonifacium I. ad Episc. Illyric. in collect. Romana Lucæ Holstenii par. 1. pag. 69., Hieronymum ep. 123. num. 10. tom. 1. p. 901. edit. Vallarsii Veronæ, Augustinum ep. 186. al. 106. ad Paulin. num. 2. pag. 505. seq. tom. 2. opp. ed. Antwerp. 1700. Leonem M. ep. 12. ad Anastas. Thessalon. cap. 11. opp. tom. 1. col. 690. edit. Venet. 1753. Mitto cetera testimonia, quæ collegit Mamachius del diritto libero della Chiesa lib. 3. par. 2. cap. 3. not. 1. pag. 18. et seq.

§. XV. Atque in eo quidem iudicio, quod Pontifex ex cathedra emittit, hoc est universalis Magistri suscepta persona, in definiendis fidei controversiis errare non potest (1). Nam erroris expertem esse oportet, quem Christus Ecclesie præposuit, ut Christianos omnes cogat ad eandem secum unitatem, præsertim in fide, adeo ut qui ab ejus doctrina discedit, hæreticus, et schismaticus habeatur.

(1) Videndi Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4. c. 3. et seq. tom. 1. opp. pag. 394. ed. Venet. 1721., Melchior Canus de loc. theolog. lib. 6. Jacobus Hyacin. Serry dts. 1. de Rom. Pontif. falli et fallere nescio cap. 1. et seqq., Cardinalis Orsius De irreformabili Romani Pontificia in definiendis fidei controversiis iudicio, Petrus Ballerinius de vi ac ration. Primat. Roman. Pontific. cap. 15. pag. 260. et seqq. edit. Augustæ Vindelic. 1770., Veuil Richerit Sistem. seè. 2. §. 26. p. 121., Cl. Mamachius antiquit. Christian. tom. 5. par. 1. p. 93. et seqq. et pag. 134. et seqq. et in lib. contr. Auctorem opusculi quid est Papa? tom. 1. ep. 1. num. 14. pag. 57. et seqq. et Cl. Vincentius Lupulus Episcopus Telesiensis Jur. Ecclæs. præleç. tom. 2. cap. 2. §. 39. in not. Quando autem Pontifex aliquid ex cathedra definit, aut potius tamquam privatus Doctor rem agere videatur, explicat Ballerinius loc. cit. cap. 15. §. 6. pag. 285.

§. XVI. Jurisdictionis, et potestatis, quam Summum Pontificem in universam Ecclesiam habere

diximus, multa sunt capita. Nimirum ipse leges ecclesiasticas condit, quibus universa Ecclesia tenetur (1), conditas, cum opus est, relaxat (2), pœnis animadvertit in eos, qui legibus non obtemperant (3), judicat graviores causas ecclesiasticas (4), habetque jus appellationum (5). Cum enim recta earum ratio sit, ut ab inferiori iudice ad superiorem provocetur, ac denique ad eum, ultra quem progredi iudicium non potest, facile intelligitur, in rebus ecclesiasticis appellandum demum esse Summum Pontificem, qui omnium est Princeps, et cujus iudicium soli Deo subjicitur. Quod si in rebus civilibus semper postrema appellatio ad eum fertur, penes quem est summa earum rerum potestas, cur non etiam in rebus ecclesiasticis postrema hæc appellatio dabitur ad Summum Pontificem, qui tamquam princeps, et caput Ecclesie summam in his rebus potestatem habere debet?

(1) Initio Romani Pontifices, uti demonstratum supra est in prolegom. cap. 3. §. 35. not. 2. & 3. generales leges ut plurimum in concilio edere solebant, sed sæpe etiam mandata sua comprehendebant litteris, quibus omnes parere cogebantur. Plures sunt hujusmodi littere decretales, atque ex iis, ut omnes norunt, pars magna canonici juris conficitur. Dionysius Exiguus hæc decretales primus collegit sumpto initio à Siricio, sed tamen certum est, ab antiquioribus quoque Pontificibus datas fuisse similes litteras, quæ extant apud Constantium Epistol. Roman. Pontif. Certe ipse Siricius ep. 1. ad Himer. Tarracoen. cap. 1. apud Constantium loc. cit. col. 624. memorat missa ad provincias à venerande memorie prædecessore meo Liberio generalia decreta. Atque illa Siricii epistola ad Himerium, qua Sacerdotes, et Diaconi jussi sunt abstinere se ab uxoribus, quas ante sacros ordines duxerant, quot in Hispaniis, uti observat Bianchius della potestà e polizia della Chiesa lib. 2. cap. 3. §. V. tom. 4. pag. 458. & seqq. turbas excitare debuisset, quod tollebat verus consuetudo earum regionum, et civili reipublice damni aliquid inferri videbatur? Et tamen omnes Pontificie legi parue-



ae Siricii successor Innocentius I. eandem legem obser-  
vati in Gallis voluit datis litteris ad Victricium Rotomagensem,  
et Exuperium Tolosanum apud Constantium *loc. cit. col. 745*,  
*seqq. et col. 789. seqq.* Dubitari vero non potest, quin hæc  
litteræ vim legis habuerim, uti ostendit sanctio, seu poena con-  
stituta in eos, qui his legibus non obtemperant. Qua eadem  
sanctione munitæ sunt litteræ ceterorum Pontificum, uti pa-  
tet ex *Zosimo ep. 9. ad Hesych. Salonit., Celestino ep. 5. num. 3. apud Constantium loc. cit. col. 970. et 1074. Leonæ M. ep. 4. cap. 5. opp. tom. 1. col. 616. ed. Balleria Venet. 1753.* aliisque compluribus, quos mittimus, ne longiores si-  
mus. Confer Cl. Zacariam *Anti-Febrovio part. 2. lib. 2. c. 1. et cap. 2.* et confer librum Romæ editum an. 1791. cui ti-  
tulus *Testimonianze delle Chiese di Francia &c. tom. 1. let-  
truz. Pastorale di M. Vescovo de Amiens p. 25. 27. 31. 33-  
43. 49. 67. 89.*

(2) Ut relaxare quis possit legem, supra eam potesta-  
tem habeat necesse est. Hanc autem in leges ab universa Ec-  
clesia conditas non alius habere potest, quam qui Ecclesie  
caput, princepsque est, cujus in totam Ecclesiam fertur ja-  
risdictio. Atque hanc quidem potestatem propriam Summi Pon-  
tificis agnovit ipsa Synodus Basileensis in *ep. Synod. num. 5.*  
apud Labbeum *concil. tom. 17. col. 484.* et agnovit ipse Du-  
pinus *de antiq. Eccles. disciplin. dissert. 4. cap. 2. §. 3.* Sa-  
ne plenæ sunt ecclesiasticæ historie dispensationum, quæ à Se-  
de Apostolica concessæ sunt. Paulo post initium IV. sæculi.  
Melchias P. decretam edidit, de Episcopis, qui quibuscun-  
que locis, si duo essent ordinati prior; alteri autem eo-  
rum, si confirmaretur, qui fuisset ordinatus prior; alteri autem eo-  
rum plebs alia regenda provideretur, "et hanc quidem dis-  
pensationem laudat Augustinus *ep. 53. ad Clotum et Eleu-  
sium num. 16. pag. 72. tom. 2. opp. ed. Antwerp. 1700.* Eodem  
IV. sæculo ad exitum vergente Siricius *ep. 1. ad Himerium  
Tarracou. num. 19.* apud Constantium *ep. Pontific. Roman.  
col. 636.* his, qui ignorantes ad sacram militiam indebitè irrep-  
sissent, veniam dedit, ut in ordine, quem tenerent, perseve-  
rare possent; et initio V. sæculi Anastasius I. rogatu Episco-  
porum Africae clericis, qui Donatistarum partes sequenti fue-  
rant, ministrare permittit in ordinibus, quorum munera exer-  
cuerant, cum in ea secta versarentur. Confer Codicem Ca-  
nonum Ecclesie Africanæ *cap. 68.* apud Justellum *Biblot. Jnr-  
tan. tom. 1. pag. 365. ed. Paris. 1661.* Constantium *loc. cit.  
col. 733. et 734.* et Thomassinum *Vet. et nov. Eccles. discipl.  
part. 4. lib. 3. cap. 24.* Illustris est etiam venia data à Simpli-

cio Pontifice *ep. 14. ad Zenon.* apud Labbeum *tom. 3. con-  
cil. col. 110.* rogatu Zenonis Imperatoris, qua firmata est or-  
dinatio Episcopi Antiocheni, qui contra Nicænos Canones crea-  
tus fuerat. Synodus Romana VI. apud Labbeum *tom. 5. Con-  
cil. col. 599. ed. Venet.,* quæ pluribus constabat tum Italiz,  
tum aliarum provinciarum Episcopis, mirifice approbavit testi-  
monium, quod tulit Symmachus Pontifex de auctoritate Sedis  
Apostolicæ concedendarum dispensationum, quæ temporum ra-  
tio postularet. Consule Thomassinum *vet. & nov. Eccles. Dis-  
ciplin. par. 2. lib. 3. cap. 24.* Natalæ Alexandrum *Hist.  
Eccles. histor. V. sæc. tom. 5. cap. 1. art. 8. tom. 5. pag. 8.*  
& de Photian. schismat. *dissert. 4. §. 22. in fin. pag. 358.  
tom. 6. ed. Venet. 1776.,* Marnachium *advers. auctor. opusc.  
quid est Papa? ep. 3. §. 11. tom. 1. pag. 232. ed. an. 1787.*  
& doctissimum Card. Gerdilium *Confutatione di due libelli  
contro il Breve Super soliditate tom. 1. pag. 35. 115. seqq.  
& tom. 2. pag. 129.,* à quibus & alia dispensationum exempla  
referuntur.

(3) *Quæ enim,* inquit S. Cælestinus P. *ep. 5. num. 3.* apud  
Constantium *loc. cit. col. 1074., sola admonitionis auctoritate  
non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem re-  
gulis vidualicemus.* Nota sunt omnibus quæ contra quatuordecima-  
nos, contra rebaptizantes, contra alios Pontificis legibus non  
parentes à Victore, Stephano, ceterisque Pontificibus gesta  
sunt. Consule præterea, quæ superiore *not. 1. diximus* de poe-  
na adversus eos constituta, qui Pontificis legibus non parent.

(4) Jus hoc, quo in qualibet societate potiri debet quisque  
in ea supremum esse caput, & summam habet jurisdictionem,  
semper Romanos Pontifices exercuisse certum est; atque hinc  
ad Sedem Apostolicam graviora quæque negotia semper referri  
consueverunt, ut de his judicium ferret. *Si maiores causæ,* in-  
quit Innocentius I. *epist. 2. ad Victric. Rotomagen. cap. 3.*  
apud Constantium *loc. cit. col. 749.,* "in medium fuerint do-  
c, volutz, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, &  
beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur."  
Sed dignus præsertim cura, & observatu est Bonifacii I. locus  
*ep. 15.,* ubi statuitur, graviores causas statim, primoque judi-  
cio ad Sedem Apostolicam esse deferendas, ac multus, ut ipse  
inquit *num. 6. col. 1042.* apud Constantium patere ostenditur  
"documentis maximas Orientium Ecclesias in magnis negotiis,  
in quibus opus esset disceptatione majore, sedem semper con-  
sultuisse Romanam, & quoties usus exegit, ejus auxilium pos-  
tulasse." Eadem hæc sententia expressa est in Capitularibus Re-  
gum Francorum *Capitular. Aquigranen. an. 803.* apud Ba-







ac transfert Episcopos (2), eorumque arctat, & constringit potestatem, quam obnoxiam habet (3), eosdem propter crimina Episcopatu dejicit (4), atque etiam restituit (5) Episcopatus constituit (6), & plures in unum distrahit in plures (7), cum alterutrum postulat Ecclesie utilitas, cujus sollicitudo Summo Pontifici incumbit.

(1) A Sixto Pontifice septem in Galliis Episcopos constitutos fuisse narrat Gregorius Turonensis *Hist. Franc. lib. 1. cap. 28. col. 23. ed. Paris. 1699., et Tom. II. Rerum Gallic. et Francisc. Mart. Bouquet Paris. 1739. pag. 147.* ab eodemque Pontifice primum ad Rhemensem Metropolim directum fuisse Sixtum scribit Hincmarus Rhemensis *Opusc. 33. cap. 16. pag. 431. Tom. II. ed. Paris. 1645.* Primus Scotorum Episcopus Palladius, eoque vita functo Patritius à Cælestino P. creatus est Prosper in *Chronico. col. 744. ed. Paris. 1711.* Beda *lib. 1. histor. Gen. Angl. cap. 13. pag. 55. ed. Cantabr. 1643.* Marianus Scotus *lib. 2. etat. 6. ad an. 432.* Alia multa ea de re monumenta habes apud Joannem Diaconum in *vit. S. Gregorii M. lib. 3. cap. 7. opp. S. Gregor. tom. IV. col. 86. ed. Maurini. Paris. 1705.* & aliud apud Optatum Milevit. *contra Parmen. lib. 1. pag. 28. ed. Paris. 1676.* quem in locum vide Albaspin. in *not.* Mitto cetera, ne nimis videar. Concilium Tridentinum *sess. 25. can. 8.* "Si quis, inquit, dixerit, Episcopos, quæ auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos... anathema sit." Itaque si à Concilio tantquam catholicum dogma definitum est, veros, ac legitimos esse Episcopos, qui à Summo Pontifice creati sunt, facile intelligitur, legitimam esse Pontifici creandorum Episcoporum potestatem, sine qua illi veri, ac legitimi Episcopi haberi non possent. Confer Hallierum *de sacr. elect. par. 3. lib. 2. sess. 5. cap. 4. §. 1. num. 18., et art. 3. §. 6. num. 45. et 55.* Bertium *de theolog. disciplin. lib. 36. cap. 13. num. 8., & doctissimum Cardinalem Gerdilium Consultatione di due libelli diretti contro il Breve Super soliditate tom. 1. pag. 12. et seq.*

(2) *Cap. 2. de transit. Episco.* Hic etiam injusti osoros Sedis Apostolicæ in scenam revocant Isidorianas decretales, quasi per eas tantum Summi Pontifices jus transferendi Episcopos obtinuerint. Ur mittam Febronium, Eybellium, ceteros hujusmodi id audacter prædicat Dominicus Cavallarius in *Instit. Canon. par. 1. cap. 22. §. 6.* Sed hi omnes vehementer errant.

Nam multo ante, quam Isidori collectio prodiret, Bonifacius I. uti constat ex ejus *ep. 4. et 15.* apud Constantium col. 1019. et 1039. rogatus à Corynthiis Perigenis translationem permisit; atque auctoritate Cælestini I. uti narrat Socrates *Histor. Eccles. lib. 6. cap. 4. part. 390. ed. cit.* Proclus Cizici Episcopus ad Constantinopolitanam Ecclesiam translatus est. Quin etiam cum Barchinonenses vehementer cuperent suæ Civitatis Episcopum habere Irenæum, qui jam in ejus Diocesis municipio Episcopatum obtinebat, preces ea de re dederant ad Tarracoensem Episcopum Provincie Metropolitam. Is habita Synodo probavit desiderium Barchinonensium, eaque de re literas dedit ad Hilarium Pontificem, ut permitteret translationem, quam Provincialis Synodi auctoritate fieri non posse sentiebat. Pontifex, re diligenter expensa, probare noluit hanc translationem, & ideo facta non est, quamquam ejus magnus esset desiderium Barchinonensium, & magna voluntas Synodi Tarracoenis. Illustre etiam Episcopalis translationis exemplum est in S. Gregorii M. *ep. 79. lib. 1. col. 563. tom. 2. ed. Maurin. Paris. 1705.* per quam à Summo Pontifice Martinus à Tainatensi Ecclesia ad Saonensem translatus fuit. Neque certe fieri secus potest, quoniam opus est auctoritate Summi Pontificis, à quo relaxentur leges Ecclesiasticæ, quibus vetitæ sunt Episcoporum translationes, tollaturque vinculum, quo Episcopus suæ Ecclesie alligatur. Quin ex Capitalibus Regum Francorum constat, Reges ipsos à Summo Pontifice veniam postulasæ, ut penes se Episcopum retinere possent; adeo certum habebatur, etiam ante editas Isidorianas decretales, si ve venia Sedis Apostolicæ Episcopum deserere non potuisset Ecclesiam, cui addictus erat. Nam in Capitali Francofordiensi *anni 794.* appud Baluzium *cap. 53. tom. 1. col. 195.* habentur hæc, "Dixit etiam Dominus Rex in eadem Synodo, ut à Sede Apostolica, id est ab Hadriano Pontifice, licentiam habuisset, ut Anglramum Archiepiscopum in suo palatio assidue haberet propter utilitates Ecclesiasticas.... Quod etiam habet Epistola 40. Codicis Carolini *pag. 226. tom. 1. ed. Cenni Roma. 1760.,* qua Paulus I. Summus Pontifex Pippino Regi facultatem tribuit apud se retinendi Georgium Episcopum, & Petrum Presbyterum.

(3) Audiatur ea de re Gersonius, qui certe nimis studii in Sedem Apostolicam suspectus videri non potest, *de Stat. Eccles. consider. 3. de atat. Pralat. pag. 532. tom. 2. edit. Antwerp. 1706.* "Status, inquit, prælationis episcopalis habuit in Apostolis, & successoribus usum, vel exercitium suæ potestatis sub Papa Petro, & successoribus ejus, tamquam sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis aucto-



toritatis. Unde & quoad talia minores Prælati scilicet Curati, substanti Episcopis, à quibus usus suæ potestatis quandoque limitatur, vel arcetur; & sic à Papa potest fieri circa Prælatos, majores ex certis, & rationalibus causis, non est ambigendum. Confer *Ballerinum de potest. ecclæs. Sum. Pontif. &c. cap. 1. §. 5. pag. 16. seqq. edit. Augustæ Vindeliæ. 1770.*, & Cl. Card. Gerdilius *Confutazione ai due libelli et. tom. 1. pag. 25. & seq. & tom. 2. pag. 77.*

(4) Secundo Ecclesiæ sæculo Victor Pontifex, cum Asianos Episcopos, qui Judaorum more ipsa luna 14. pascha celebrabant, sacris interdiceret velle, ejus potestatem agnovit, atque probavit S. Irenæus, uti patet ex fragmento ejus epistolæ. *ad Victo. pag. 340. opp. ed. Massueti Paris. 1710.*, licet de impetranda à Summo Pontifice pro his venia magnopere laboraret. Vide Eusebium *Hist. Eccles. lib. 5. cap. 24. pag. 245. ed. Valesii Cantabrig. 1720.* Eadem poena S. Stephanus rebaptizantes plectere volebat, neque inquam hanc potestatem Summi Pontificis in discrimen revocavit S. Cyprianus, quamquam ipse potissimum contra Stephanum illam rebaptizantium opinionem tueretur. Paulo ante quam illa Stephanus gereret contra rebaptizantes, S. Cornelius P. eadem potestate usus est contra Novatianum, uti patet ex ejus ep. 9. *ad Fabium Antiochenum* apud Constantium *epist. Roman. Pontif. col. 125. & seq.* Pertinet hæc ad II., & III. Ecclesiæ sæculum. Quarto autem sæculo Julius I. graviter objurgavit Eusebianos, quod S. Athanasius in Antiochæno Conciliabulo de Episcopatu dimotus fuerat, quod sine auctoritate Sedis Apostolicæ fieri non poterat. *An ignoratis*, inquit, epist. 1. apud Constantium n. 22. *col. 386.*, hanc esse consuetudinem ut primum nobis scribatur, & hinc quod justum est decernatur? Quam consuetudinem ab Julio memoratam ne quis ad solam Alexandrinam Ecclesiam referendam putet faciunt Socrates *Hist. Eccles. lib. 2. cap. 17. pag. 96.* & Sozomenus *lib. 3. cap. 8. & 10. pag. 102. & 105. ed. Valesii Cantabrigiæ 1710.*, qui illud, quod Julius proponit, generali Ecclesiæ canone receptum ostendunt. Ad hoc idem sæculum spectat depositio Timothei Episcopi Beris, quam Romæ absolvit S. Damasus, & quam cum postulasset Orientales ignari eorum, quæ jam ipse gesserat, respondit ep. 14. *num. 3. col. 574.* apud Constantium: "quid igitur de positionem Timothei à me denuo postulatis, qui & hic judicio Sedis Apostolicæ, præsentè etiam Petro Alexandrinæ Urbis Episcopo depositus est una cum Magistro suo Apollinariis? Præclarum etiam hujus Pontificis potestatis monumentum occurrit V. sæculo in depositione Nestorii Patriarchæ Con-

stantinopolitani, quem S. Cælestinus ab Episcopatu ejiciendum pronuntiavit, "nisi intra decem dies ab hujus Conventionis die numerandos pravas prædicationes suas scripta professione condemnaret," uti loquitur ipse Cælestinus in ep. 11. *ad Cyrillum Alexan. num. 4. col. 1106.* apud Constantium. Sæculo VI. Agapitus Antinum deposuit, ejusque loco Memnam Patriarcham Constantinopolitanam constituit, de qua quidem re ita loquitur Natalis Alexander *histor. sæc. VI. cap. 3. art. 7. pag. 344. tom. 5. edit. Venet. 1776.* "Primum gloriosius, exercere non potuit Romanus Pontifex, quam Constantinopolitanum Patriarcham hæreticum exauctorando, & in ejus locum alium ordinando, idque nulla synodo convocata." Vide S. Bernardum ep. 239. *ad Eugen. opp. tom. 1. pag. 102. edit. Venet. 1765.*

(5) Longum esset omnia colligere exempla Episcoporum, quos gradu motos Sedes Apostolica omni ætate restituit; pauca tantum indicabo, ex quibus de hoc jure certissimo Summorum Pontificum facile est judicare. S. Cyprianus ep. 68. *pag. 114. ed. Rigaltii Paris. 1666.* de Basilide justas ob causas depositus agens, "Romam pergens, inquit, Stephanum Collegam nostrum longe positum, ac tacite veritatis ignarum fessellit, ut exambiret, reponi se in Episcopatum, de quo fuerat justus, te depositus." Ergo restituenti potestatem in Stephano Pontifice agnovit. Sæculo consequenti Eustachius Nestæus Episcopus cum in Concilio Militensi Arianorum depositus fuisset, provocavit ad Liberium Pontificem, ejus sententia Sedis suæ restitutus fuit, uti testatur S. Basilius ep. 263. n. 3. *pag. 406. tom. 3. opp. ed. Maurin. Paris. 1730.* oblatisque literis ejusdem Pontificis susceptus est à Patribus Concilii Tyanensis, quamvis antea hæresos Arianæ suspectus fuisset. "Quæ nam, autem, inquit S. Basilius, sint illi à Beatissimo Episcopo Libetio proposita, & ad quæ consentire, nobis clam est; nisi quod epistolam attulit, quæ cum restituerebatur, eaque ostensa Concilio Tyanensi, in suum locum restitutus est." Quia etiam cum ipse Eustachius deinceps in errores iterum lapsus fuisset, omnes Episcopi diocæses Ponticæ in Tyanensi Synodo congregati eum damnare ausi non sunt, nisi primum de ejus crimine certiores facerent Summum Pontificem, ab eoque facultatem impetrarent, uti constat ex epistola Basilii, ejus nunc mentionem fecit S. Joannes Chrysostomus non solum à Synodi judicio, à quo è gradu dejectus fuerat, ad Innocentium P. provocavit, sed etiam suas propositas querelas adversus Teophilum Patriarcham Alexandrinum, ceterosque Episcopos, à quibus injuriam acceperat, roga-



vitæ Pontificem in ep. apud Palladium in ejus vita opp. *Chrysostom. tom. 13. pag. 9. ed. Moutfauconii Paris. 1738.* his verbis: „rogo ut per epistolas denuntiatis ea, quæ tam iniuste acta sunt ab una parte, absentibus nobis, & non declinantibus iudicium, nullum habere robur, sicut ex sua natura, nullum præsentibus. Nos igitur, qui nec conviciti, nec reprehensi sumus, nec rei demonstrati litteris vestris frui date, & charitate vestra, ceterisque omnibus, ut antea.“ Qua in controversia etiam Theophilus, qui omnes illas contra Chrysostomum turbas excitaverat, ad Innocentium provocavit, datis litteris, quibus lætis, uti narrat Palladius *loc. cit. pag. 4.* „Beatus Papa Innocentius parum absuit, quin temeritatem Theophili, atque superbiam condemnans exhorresceret, quod & solus scripsisset, nec claræ ejus notitiæ misisset, aut cur, aut quibus assumptis negotiis Joannem deposuisset.“ Pontifex Chrysostomum restituit, ut ostendit Palladius *loc. cit. pag. 9. seq.* neque Alexandrum Antiochenum Patriarcham, & Acaecium Beroensem Episcopum Apertolice Communionis participes fecit, nisi primum „omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati, & vere Deo digni Sacerdotis Joannis“, ut ipse loquitur in *ep. 19. ad Alexandrum Antioch. n. 1. col. 845.* apud Constantium. Pertinet etiam ad hunc locum restitutio Theodoriti Episcopi Cyri, quam S. Leo M. fecit, uti patet ex ejus *ep. 120. ad ipsam Theodoritum tom. 1. opp. col. 1218. ed. Ballerini.* quæque etiam Concilio Chalcedonensi probata est *art. 8. tom. 4. col. 1523. collect. Labbei.* Hadriani Episcopi Thebani, quam S. Gregorius M. absolvit, uti constat ex *ep. 6. lib. 2. ad Joan. Episc. col. 627. tom. 2. ed. Maurin. Paris. 1705.* & quæ omnium, quas commemoravi, antiquissima est, restitutio S. Athanasii, de qua late agitur in *dissertatione Roma edita an. 1768. de appellationibus ad Romanum Pontificem.*

(6) Confer Innocentium I. *ep. 25. ad Decent. Eugubium.* n. 2. apud Constantium *ep. Rom. Pont. col. 856.* & Gregorium M. *lib. 2. ep. 14. col. 578. tom. 2. opp. ed. Maurin. Paris. 1705.* & confer etiam Cl. Zaccariam in *Aufisebronio par. 2. lib. 1. cap. 7. tom. 3.* ubi multa, & præclara ea de re exempla colliguntur.

(7) Vide S. Leonem M. *ep. 66. ad Episc. Metropol. Arimat. cap. 2. opp. tom. 1. col. 999. edit. Ballerin. Ven. 1753.* & S. Gregorium M. *lib. 1. ep. 8. ad Bacaudum Formien. Ep. tom. 7. opp. ed. Venet. an. 1770. pag. 12. lib. 2. ep. 45. ad Benenatum Episc. pag. 142. ep. 50. ad Joan. Episc. pag. 150. lib. 3. ep. 20. ad Gratianum Episc. pag. 178. lib. 6. ep. 10.*

*ad Bonifacium Episc. pag. 357. lib. 4. ep. 29. ad Jan. Episc. pag. 256. et seq.* qui quidem Miaturnensem diocesim Formiensi, Misenam Camanæ, Trium Tabernarum Velitrane, S. Authemianam Nomentanæ, Carinensem Rhegiensi junxit, Phausaianam autem à Calatiana divisit. Recte igitur, verèque scripsit Urbanus II. *ep. 4. ad Rainoldum Remensem t. 12. conc. collect. Labbei col. 741.* Apostolicæ Sedis esse *Episcopatus conjungere, conjunctos disjungere, aut etiam novos constituere.*

§. XIX. Sunt & alia Pontificiæ potestatis capita, quæ omnia pertinent ad amplam illam jurisdictionem, qua ubique fruitur Summus Pontifex, atque ad curam, & sollicitudinem, quam habere debet, Ecclesiæ universæ. Ea sunt, ut Brevarium, & Missale Romanum corrigat, ac mutet (1), ut Regulares Ordines approbet, atque confirmet: eademque etiam justis de causis è medio tollat (2), ut insignes pietate viros albo Beatorum, vel Sanctorum adscribat (3), ut propter amplam, quam habet in tota Ecclesia, jurisdictionem ubique terrarum pontificalia exercere solus possit (4). Cetera, quæ ad Summum Pontificem pertinent, suis locis opportunius explicabimus.

(1) Olim unusquisque Episcopus suæ diocesis liturgiam moderabatur, quæ tamen à catholice Ecclesiæ doctrina non discreparet. Atque hinc orta est diversitas illa cæremoniæ, & precum, quæ occurrit in liturgiis SS. Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, de quibus agit Cardinalis Bona *rer. liturg. lib. 1. cap. 6. tom. 1. pag. 90. et seq. ed. Taurin. an. 1747.* Sed denique utilitas concordium precum, & illa, que ex crebra rerum mutatione oriebantur, incommoda fecerunt, ut S. Pius V. in *Const. Quo primum 147. pag. 116. tom. 4. par. 3. Bullar. ed. Mainardi* in divinis officiis, sacrice peragendis ab omnibus servari voluerit ordinem Ecclesiæ Romanæ, quæ aliarum mater, & magistra est.

(2) Honorius III. SS. Dominici, et Francisci Ordines confirmavit, quo quidem facto evidenter ostendit, jus esse Romani Pontificis novos Ordines non institere solum, sed etiam confirmare. Concilium Lugdunense II. oecumenicum *can. 23.*





vir, quem errorem antea conclusum, & regione schismaticorum, integravit Wicleffus propositione illa, quam Synodus Constantiensis damnavit: "Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias."

§. XXI. Sed Summus Pontifex est etiam Episcopus Urbis Romæ, Archiepiscopus, & Metropolita Romæ Provinciæ (1), Primas Italiæ, Patriarcha Occidentis. Nec prætereunda potestas *temporalis*, sive *politica*, quam habet in tota ditione ecclesiastica, more Principum cæterorum, qui summo potiuntur imperio. Potestas hæc sive repetatur ex consensu populorum, sive ex Principum donationibus, sive ex diuturna præscriptione, sive etiam ex onerosis contractibus, tam justum porro est, tamque legitimum pontificum imperium, ut nemini potiora jura esse possint (2).

(1) Jus metropoliticum Summi Pontificis ultra centesimum ab urbe lapidem producendum negant Jacobus Gothofredus, & Claudius Salmasius, quoniam hoc locorum intervallo contineri putant *suburbicarias Ecclesias*, quarum *solicitudinem gerere Pontificem*, ex *can. 6. Nicæno* inquit Rufinus *histor. lib. 10. cap. 6. int. Antor. Histor. eccles. p. 221. Basilæ 1528.* Sed longe ampliores hujus metropolitici juris fines esse, demonstrat Simonius tribus, quos adversus Gothofredum, & Salmasium evulgavit, libris, quorum primus inscribitur. "Censura, conjecturæ anonymi scriptoris de suburbicariis regionibus, & ecclesiis, alter Adventoria casidico Divionensi adversus Amici ad Amicum Epistola, de suburbicariis regionibus, & ecclesiis, cum censura conjecturæ alterius anonymi; tertius Propempticum." Confer Bianchium *della Potestà d'ella Polizia della Chiesa lib. 2. cap. 1. §. 16.*, & Benedictum XIV. *de Synod. diocæs. lib. 2. c. 2.*, qui jus metropoliticum Summi Pontificis explicat copiose, & diligenter. Non tamen iisdem terminis Romana provincia omni ætate definita est, cum eam lapsu temporum ipsi Romani Pontifices, novis constitutis sedibus Metropolitanis; immutarent. Innocentius III. *in c. 5. de Offic. vicar. Romanam provinciam inter Capuanam, & Pisanam sitam dixit.* Sed alix deinceps à Summis Pontificibus factæ sunt ejus provincie distractiones, & ideo quamquam ea nunc etiam posita dicatur inter Capuanam, Pisanamque provinciam, secundum

Innocentii decretalem, tamen revera conficitur ex illis tantum Episcopis, qui inter utramque illam provinciam sedent, ac nulli Archiepiscopo subjecti sunt.

(2) Vid. Card. Orsimum *del Dominio temporale dei Papi, & Monumenta dominationis Pontificiæ, sive codicem Carolinum editum à Cennio Romæ 1760.*

## SECTIO II.

*De Cardinalibus, et legatis.*

XXII. ad XXIV. Cardinalium nomen, origo, dignitas.	XXVII. Officium.
XXV. Cardinales Episcopi, Presbyteri, Diaconi.	XXVIII. Jura, & privilegia.
XXVI. Eorum insignia, & numerus.	XXIX. Legati Apostolici.
	XXX. Legati à latere.
	XXXI. Legati missi.
	XXXII. Legati nati.

### §. XXII.

Explicandæ, exercendæque potestatis causa Pontifex habet Curiam, & Senatam. Curiam conficiunt Ministri, quorum alii suo funguntur munere in Dataria, alii in Cancelleria, alii in Foro judicario (1). Senatam autem constituunt Cardinales, quo nomine appellantur *Coadjutores*, & *Collaterales* (2) Summi Pontificis, quorum est cum consilio juvare in Ecclesiæ regimine, & administratione (3). Hoc nimirum munus est, semperque fuit Romanorum Cardinalium; quo probe stabilitum, & fixum, de vera hujus amplissimæ Dignitatis origine non obscurum, neque incertum judicium est (4).

(1) Vid. Card. de Luca *Relatio Romane Curie.*

(2) Ita Cardinales vocat S. Bernardus ad Eugenium III. *de Consider. l. 4. cap. 4. col. 444. vol. 1. ed. Paris. 1719.*, et *ep. 237. col. 233.* inquit Cardinalium esse opem ferre Pontifici in regimine Ecclesiæ universæ.

(3) C. 17. *de elect. in 6., Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 1. in fin.*

(4) Confer Cennium apud Catalanum *in præfat. ac annal. Muratorii t. 5. p. 1. pag. XXXIII. ed. Romæ, & præfat. ad ejusdem dissertationes t. 3. p. 1. pag. XIV.*, & in *not. Tom. I.*



ad dissert. 61. pag. 3. et 15. t. 3. pag. 2., Santinellum in  
dissert. della dignità del Cardinalato inter opuscula Angelii  
Calogera t. 26. p. 397., Card. Bromatium dissert. dell' antica  
preminenza del Cardinalato, Cohellium Notit. Cardinal.,  
Platum de Cardin. dignit. & offic. c. 2. §. 1. ad 3. p. 23. Ro-  
mae 1758. & Cl. P. Iosephum Tamagnam origine, & preroga-  
tive dei Cardinali.

§. XXIII. Omnes Ecclesie suum semper ha-  
buere Senatam, & Presbyterium consultam ex  
Presbyteris, & Diaconis (1), quorum consilio Epis-  
copus in regenda diocesi utebatur. Itaque & Ec-  
clesia Romana semper habuit Senatam suam (2),  
quique eum conficiunt, semper præstare debuerunt  
Senatibus ceterarum Ecclesiarum, uti his Ecclesiis  
præstat Romana, cujus illi nobilissimæ partes, &  
præcipua membra sunt (3). Non igitur quod Car-  
dinalium nomen reliquis quoque Ecclesiis esset  
commune (4), consequens est, ut idem esset gra-  
dus, eademque dignitas Cardinalium, qui Roma-  
næ, & qui aliarum Ecclesiarum senatam consti-  
tuebant.

(1) S. Ignatius Martyr, qui I. Ecclesie sæculo florebat,  
in omnibus fere epistolis, quæ extant apud Cotelium PP.  
Apostol. t. 2. ed. Amstelædani 1724., commendat obsequium,  
& reverentiam erga Senatam Presbyterorum, cum quo Dia-  
conos etiam memorat, & qui una cum Episcopo suæ Ecclesie  
regimini præerat. Episcopo, inquit, ep. ad Philadelp. n. 7. p.  
146., intendite, et Presbyteris, et Diaconis. Et ep. ad Smyrn.  
n. 8. p. 148. "Episcopum, ait, sequimini, sicut Jesus Christus  
Patrem; Presbyteros sicut Apostolos, Diaconos autem vene-  
rantium sicut mandata Dei ministrantes." Vide etiam ejusdem Ig-  
nati ep. ad Magnesianos n. 6. p. 55., et ad Trallianos n. 7.  
p. 63. dicit hæc: "Qui vero foris est, hic is est, qui sine Epis-  
copo, & Presbyteris, & Diaconis quidpiam agit." Hinc sæpe  
occurrunt literæ datæ ad Presbyteros, et Diaconos, hoc est  
ad Senatam Ecclesie. Confer ep. Cypriani ad Cornelium apud  
Constantium c. 131., & confer can. 24. Concilii Antiocheni  
an. 341. apud Labbæum tom. 2. col. 595. ed. Venet., ubi sta-  
uitur quod "manifesta sint, quæ ad Ecclesiam pertinent cum

cognitione Presbyterorum, & Diaconorum, qui sunt circa  
eum," hoc est Episcopum.

(2) Omni igitur actu ad me perlato, inquit Cornelius P.  
ep. 6. ad Cypri. n. 2. c. 136., placuit contrari Presbyterium.

(3) Vide Sixti V. Constit. 76. t. 4. par. 4. pag. 279. Bul-  
lar.

(4) Cardinales appellati videntur à *sardinibus*, quia nimi-  
rum fixi, & immobiles essent tamquam cardines, & circa eos  
Ecclesie, veluti valvæ circa cardines, volverentur. Omnes igitur,  
qui certæ Ecclesie erant addicti, sive *incardinati*, ut ei  
semper vel præessent, vel servirent, cardinales dicebantur iis  
oppositi, qui certo tantum tempore Ecclesiam regebant, vel ei  
tamquam auxiliares addicebantur. Ita Gelasius P. can. 3. dist.  
24. Episcopum *Cardinalem* opponit Episcopo *Visitatori*, qui  
scilicet tamquam Visitator ad tempus Ecclesiam curare, non ei  
perpetuo addictus esse debebat. Gregorius M. pluries memorat  
Episcopos, & Presbyteros Cardinales, quos describit tamquam  
addictos certæ Ecclesie, in qua officium suum explicare debe-  
bant. Romani correctores in can. 5. dist. 71. censent, cum,  
qui de una ad alteram Ecclesiam transfereretur, sive Epis-  
copum, sive Presbyterum, sive Diaconum, in priori Ecclesia  
*ordinatum*, in altera *incardinatum* à Gregorio dici consuevisse.  
Quo sensu idem Pontifex can. 5. c. 21. q. 1. Agnellum Fundorum  
Episcopum, ab hostibus vastata ejus Civitate, Cardinalem Epis-  
copum Terracinae constituit, Petro hujus civitatis Episcopo vi-  
ta functo. Idem lib. 1. ep. 83. ad *Januarium Episcopum Ca-  
larianum* opp. tom. 11. col. 566. edit. Paris. 1705. scribens,  
"Liberatus, inquit, qui Diaconi fungi perhibetur officio, si à  
decessore tuo non est factus Cardinalis, ordinatis à te Dia-  
conibus nulla debet ratione præponi." A Romanis correc-  
toribus dissentire videtur Jo. Diaconus in vit. S. Gregorii M.  
lib. 3. cap. XI. opp. S. Gregor. tom. IV. col. 88. edit. cit.,  
cum inquit: *Cardinales violenter in Parochiis ordinatos for-  
rensibus in pristinum eardinem Gregorius revocabat.* Cum car-  
dinis nomen primæ etiam Ecclesie tribuat Joannes, manifes-  
tum est, tam in altera, quam in prima Ecclesia Cardinalem  
ordinari consuevisse, atque etate Gregorii latius, quam Cor-  
rectores putarint, *cardinandi* vocabulum patuisse. Certè &  
clerici, qui semper serviebant Ecclesie, cui primum in ordi-  
natione adscripti fuerant, Cardinales dicebantur. Sed Canonici  
præsertim Ecclesie Cathedralis, qui inter ceteros clericos præ-  
cipuum, & nobiliorum tenebant locum, medio ævo *Cardi-  
nales*, appellabantur, quod multis datis monumentis ostendit  
Cl. P. Tamagna Origine, & prerogative dei Cardinali par. 1.





cap. 3. Atque hi quidem eo vocabantur nomine præsertim, quod addicti essent *cardini*, hoc est Episcopo, & Ecclesie cathedrali, quæ proprie *cardo* dicebatur. *Vicentius Archiepiscopus byter cardinis* occurrit in vetusto codice Ecclesie Lucensis an. 904. apud Muratorium *Antiquit. med. ævi tom. 6. col. 407.* apud Campium *Histor. Eccles. Placent. pag. 430. Andreas Diaconus Cardinis S. Placentine Ecclesie.* Mito cetera, ne sim prolixitate molestior. Ex quibus intelligitur, Ecclesias omnes tuos habuisse Cardinales, quo nomine comprehendebantur, qui proprius Episcopo adhaerebant, erantque addicti Ecclesie cathedrali, ac principem inter ceteros clericos locum obtinebant. At quod non Romanæ solum, sed aliis etiam Ecclesiis commune fuerit Cardinalium idem nomen, non inde effici potest, quod Romanorum, ceterorumque Cardinalium idem munus, eademque dignitas fuerit; quinadmodum nemo Summum Pontificem ceteris Episcopis parem faciat, quod olim cuncti Papæ dicebantur. Illi enim erant Sacerdotes, aut Diaconi, & Canonici particularium Ecclesiarum, & erant consiliarii Episcopi in gubernio Ecclesie suæ; sed Romani Cardinales semper opem tulerunt Summo Pontifici in regimine Ecclesie universæ. Decet diligenter attendere ad officium, & dignitatem Romanorum Cardinalium, ne quis nominis similitudine in errorem raptus eos cum Cardinalibus aliarum Ecclesiarum comparandos putet, quod multi faciunt, atque eorum exemplo facit Dominicus Cavallarius *Inst. Jur. Canon. par. 1. c. 12.* De nomine Cardinalis videndus Muratorius *Dissertationi supra le antichità Italiane dissert. 61. tom. 3. par. 2. pag. 3. edit. Romæ 1735.*, qui tamen errat vehementer, sicuti in notis animadvertit Cennius, cum inter Romanos, ceterosque Cardinales pullum olim discrimen fuisse contendit; & videndus in primis Tamagna *loc. cit.* Illud mihi certum, exploratumque est, veram haberi non posse opinionem illorum, qui Cardinales eosdem omnino, ac Parochos fuisse sentiunt. Nam Parochi certe non erant Canonici, qui Cardinales dicebantur; præterea Cardinales in Civitate fuisse constat, verum nullos in ea Parochos (si Romanam, & Alexandrinam Urbem excipimus, ubi peculiaris consuetudo obtinuit) ante annum millesimum extitisse, cum Episcopus una cum suo clero omnia tunc parochialia manera gereret, perspicue demonstrat Marius Lupus Bergomensis *de Parochiis ante annum Christi millesimum.*

§. XXIV. Erat quidem Romanorum Cardinalium officium, ut præessent Locis Sacris, hoc est

Titulis, quos S. Evaristus Pontifex in variis Urbis regionibus constituerat (1), quoniam nimia populorum multitudo per unum regi, & curari difficile poterat; ideoque & aliis opus erat Ecclesiis, in quibus Christiani convenirent ad sacras peragendas synaxes, & sacramenta à Sacerdotum manibus percipienda (2). Sed quod ii, præter hoc ipsum officium, etiam Pontifici opem ferebant in regimine Ecclesie universæ, dum contra reliqui Cardinales tantum curam cum Episcopo gerebant peculiaris Ecclesie suæ, certe Presbyteris reliquarum Ecclesiarum quam maxime præstare debuerunt: Hinc dignitate sunt antelati ipis Episcopis (3), in quos vacua Sede Apostolica auctoritatem exerceverunt (4); hinc non tantum, ut ceteri, nomen acceperunt ab Ecclesiis, quibus erant *incardinati*, sed etiam, idque potissimum, ab Ecclesia Romana, cui erant addicti, quæque *cardo* est, centrumque, & caput omnium Ecclesiarum (5); hinc demum nunc ceteræ fere Ecclesie deseruerunt hoc nomen, quo designatur amplissima Dignitas eorum, ex quibus Summi Pontificis Senatus efficitur.

(1) Vide, qui ea de re late, atque erudite disputat, Cardinalem Nicolaum Antonellium in *dissert. de Titulis, quos S. Evaristus Romanis Presbyteris distribuit.*

(2) Romani Cardinales in suis titulis non tantum sacerdotalem potestatem exercebant, verum etiam quædam gerebant munera, quæ tunc ab Episcopis gerebantur, uti rectissime animadvertit Cardinalis Antonellius *loco mox indicato.*

(3) Vide indicatam Dissertationem Caroli Bromati, & vide canonem Concilii Romani *can. 5. dist. 79.* ex quo patet, plures fuisse Episcopos, qui Romanæ Ecclesie Cardinales fieri cupiebant, adeo ut contra ipsos poenam etiam indicare oportuerit.

(4) Vacua Sede Apostolica propter obitum Fabiani Pontificis, Presbyteri, & Diaconi Ecclesie Romanæ, qui unius anni spatio toti Ecclesie præfuerunt, gravissimas dederunt litteras ad S. Cyprianum, atque ad Clerum Carthaginensem, & Cyprianus *ep. 13. & 22. p. 26. & 34. ed. Rigaltii Paris. 1666.* eorum, quæ gesserat, ratione reddita diligenter, ipsorum agno-



vit, probavitque potestatem. *Quæ litteræ* Presbyterorum, & Diaconorum, hoc est Cardinalium Ecclesie Romanæ, ut testatur Cornelius P. ep. 10. *num. 5.* apud Constantium *ep. Roman. Pontifici. col. 161.* "per totum mundum missæ sunt, & in notitiam ecclesiis omnibus, & fratribus perlatæ sunt." Audiendus de his Cleri Romani litteris ipse Constantius *loc. cit.* "Et sapientiam quidem, inquit, sperant primo Ecclesie clero dignam. Is nempe nimio potestatis suæ studio minime periclitus, episcopos vicinos, ac remotos, qui Romæ aderant, secum vocare, eorumque consilio uti non dedignatur."

(5) Leo IV. in oratione habita ad Synodum Romanam *an. 853. tom. 9. col. 1133. collect. Labbei ad Venet.* "Anastasius, inquit, Presbyter Cardinis nostri, quem nos in titulo B. Marcelli Martyris, atque Pontificis ordinavimus. "Hic potest, Anastasius inordinatus erat titulo B. Marcelli, & tamen dicitur Presbyter cardinis nostri, quia nimirum non tantum prærat titulo S. Marcelli, sed etiam erat Cardinalis, scilicet proprius adherens Romano Pontifici cardini, & capiti Ecclesie universæ. Eodem modo Hadrianus II., cum Legatos in Gallias mitteret, eorum alterum *ep. 23. & 24. apud Labbeum tom. 10. concil. col. 429. & 430. v. 1111.* ad Angelbergam Augustam scribens *ep. 83. apud Labbeum tom. 1. col. 66.* ad eam mittit litteras *per litteras presentium Petrum cardinis nostri Presbyterum.* Merito igitur Leo IX. *ep. 1. cap. 22. apud Labbeum t. 11. col. 1337.* "Sicut cardine, inquit, totum regitur ostium, ita Petro, & successoribus ejus totius Ecclesie disponitur emolumentum... Unde clerici ejus Cardinales dicuntur; cardine nimirum, que illi, quo cetera moventur, vicinis adherentes." Ex Concilio Basiliense *sess. 23. cap. 4. tom. 17. collect. ejusd. col. 329.* eos vult institui Cardinales, "qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sint, super quos ostia universalis versentur, & sustententur Ecclesie." Ex his autem omnibus, que diximus, facile intelligitur, quantum à vero aberraverint, qui serius ortum putant R. Cardinalium Dignitatem, quorum è numero sunt etiam eruditii Monachi Congregationis S. Mauri in S. Greg. M. *lib. 1. ep. 15. ad Balbinum tom. 2. col. 501. ed. Paris. 1705.*

§. XXV. Initio non alii erant Romæ, quam Presbyteri, & Diaconi Cardinales. Accesserunt postea viciniore Episcopi, qui Cardinales dicti sunt, postquam Lateranensi Basilicæ adscripti fuerunt, quique suo non desunt muneri Episcopatus, licet

Romæ commorentur, ut Summo Pontifici opem præbeant in regimine Ecclesie universæ. Hi olim erant septem numero, nempe Ostiensis Veliterno conjunctus, Portuensis, Albanus, Prænestinus, Sabinius, Tusculanus, & S. Rufinæ, seu Silvæ Candidæ; sed Episcopatu S. Rufinæ cum Portuensi conjuncto, sex hodie recensentur (1).

(1) De Episcopis Cardinalibus suburbicariis videndus Andreucius *Hierarch. Eccles. tract. 3.*, & videndi sunt etiam Panvinius, qui late agit de *Episcopatibus, Titulis, Diaconiis Cardinalium*, & Tamagna *loc. cit. cap. 4. art. 3.*

§. XXVI. Ornarunt plurimum Cardinales Innocentius IV., & Paulus II. (1), quorum alter dedit rubrum galerum, alter rubrum pannum, quo equitantes sternerent equos, aliaque honoris insignia, quæ primum Cardinalibus ex clero seculari data sunt, deinceps Gregorius XIV. (2) etiam Regularibus rubrum pileum attribuit. Denique Urbanus VIII. eos titulo *Eminentissimi* honestavit. Incertus olim, & varius eorum numerus fuit (3); nunc septuaginta esse debent, quem numerum definiuit Sixtus V., exemplo septuaginta Seniorum, quos secum assumpsit Moyses (4); atque ex iis quinquaginta oportet esse Presbyteros, Diaconos quatuordecim, Episcopos sex ex vicinioribus, uti diximus, Episcopatibus.

(1) Confer Thomassinum *Vet. & nov. eccles. disciplin. tom. 1. par. 1. lib. 2. c. 113. n. 7.*, & Michaellem Canem unum in *villa Pauli II.* editam à Cardinali Quirinio.

(2) *Const. Sanctissimus 22. p. 276. tom. 5. par. 1. Bullar.*

(3) Vide ea de re Thomassinum *loc. cit. cap. 114. n. 13.*, & Platum *De Cardin. dign. & offic. cap. 2. §. 5. pag. 58. & seq.* ibique Triam in *notis ed. Romæ 1758.*

(4) *Const. Postquam verus 76. t. 4. par. 4. p. 279. Bullar.*

§. XXVII. Solus Pontifex creat Cardinales. Eo-



rum munus est, uti diximus, consilio juvare Pontificem pro bono Christianæ Reipublicæ, Ecclesiam regere, donec ipsa illo caret, suffragium ferre in electione, quæ ab ipsis tantum perficitur, Summi Pontificis (1), quod jus non habent Cardinales, nisi Diaconatus ordinem acceperint, aut eam facultatem nominatim à Pontifice impetraverint. Suum vero munus expleant Cardinales aut in Consistorio (2) coram Summo Pontifice, aut in Congregationibus, qui cœtus sunt Cardinalium à Pontificibus instituti ad certa negotia curanda, discutienda, ac definienda. Harum singulis singuli præficiuntur Cardinales, excepta Congregatione Inquisitionis, cujus Summus Pontifex sibi servat præfecturam. Earum aliæ sunt ordinariæ, quæ scilicet perpetuo sunt addictæ certis negotiis expediendis, aliæ extraordinariæ, quæ pro certis rebus præter consuetudinem indici solent, quibus absolutis dissolvuntur.

(1) Videbis Mamachium *ad Auctor. opasc. Quid est Papa?* ep. 7. num. 4. tom. 2. pag. 112. et seq.

(2) Consistorii nomen in re civili significat Principum Senatum; sed hodie eo nomine comprehenditur consensus Cardinalium, qui in Urbe sunt, coram Summo Pontifice. Consistorium vel secretum est, vel publicum; secreto Cardinales cum Pontifice intersunt, ad publicum aliis etiam aditus patet.

§. XXVIII. Habent autem Cardinales in suis titulis amplam jurisdictionem in iis, quæ ad eorum Ecclesiarum servitium pertinent (1); et incompatibilia retinent beneficia, quæ decent eorum dignitatem (2), et testamentum condunt per privatam syngrapham, missis testibus, quos Jus Civile desiderat (3); denique eorum familiarium, ut vocant, beneficia quis impetrare non potest, nisi ipsorum consensus accedat (4).

(1) Innocentius XII. *Constit. Romanus Pontifex* 32. §. 9.

p. 273. t. 9. *Ballar.*, per quam constitutionem, uti monet Pintonius de *Controv. Patron. alleg.* 41. n. 31. nunc certum est, Cardinales in suis titulis non habere jurisdictionem quasi Episcopalem. Vid. Giralduum *Expos. jur. Pontif. par. 1. tit. 33. sect. 197. pag. 115. & 126. t. 1.*, ubi etiam explicatur jurisdictione, quam Cardinales Titulares habent in Ecclesiis Regularibus.

(2) Sixtus V. *Const. 123. pag. 417. t. 4. p. 4. Bullarii.*

(3) Card. de Luca de *Testam. disc. 1. num. 2.*

(4) Vide *Regulam* 32. *Cancellar.*, ibique Riganium.

§. XXIX. Serviunt etiam Romano Pontifici Legati, quorum est in provinciis, & regnis illius vires sustinere. Scilicet cum Summo Pontifici cura sit à Christo commissa, gubernatioque Ecclesiæ universæ, ipse vero adesse ubique non possit, in locis, à quibus abest, partes suas per Legatos implere debet (1). Itaque jus mittendi Legatos in Pontificio Primatu penitus affixum, atque insitum est, & ideo Romani Pontificis semper apud Christianos Principes suos Legatos (2), & eos quidem jurisdictione præditos (3) habuerunt.

(1) Constat, inter omnes catholicos jus mittendi Legatos ad Principes annexum esse Primatui, quem ubique habet Summus Pontifex, & cujus gratia curam, ac sollicitudinem habere debet Ecclesiæ universæ. Id fatentur, atque ex ipsa Primatus ratione, & natura repetunt Scriptores Sedi Apostolicæ infensi Febronius de *Stat. Eccles. cap. 2. §. 10.*, Pehem *prelect. in Jus eccles. par. 1. §. 268. & 269.*, Dalham in *Dis. præv. ad Concil. Salisburgen.* §. 12. pag. 17. col. 1. Ceterum totum hoc argumentum ita graviter, accurate, solide, copiose tractavit SANCITISSIMUS D. N. P. PAVUS VI. in opere Romæ edito an. 1789. cui titulus *Responsio ad Metropolitano Moguntinum. Trevirensium, Coloniensem, & Salisburgensem super Nunciaturis Apostolicis*, ut nihil amplius, protensusque nihil sit, quod in hoc argumenti genere desiderari possit.

(2) Primus S. Leo M. fuisse videtur, à quo apud Imperatorem stabilis, ac perpetuus constitutus est, Sedis Apostolicæ Legatus, qui totius Ecclesiæ negotia procuraret, uti patet ex ejus *Ep. 111. ad Marcian. ep. 112. ad Pulcher. Aug. & ep. 113. ad Julian. Episc. Coens. opp. tom. 1. col. 1187. 1189. & 1190. edit. Ballerini. Venet. 1753.* Atque hi quidem *Responsio* Tom. I.



les, sive *Aprocrisarii* dicebantur, quibus antiquiores sunt Vicarii Apostolici, qui similiter Legati erant, quos Summi Pontifices in regnis, atque provinciis constituiebant, & quibus graviora committebant negotia, quae ad iudicium Sedis Apostolicae pertinebant. S. Innocentius I. *Prædecessores* suos, ut ipse inquit, *Apostolicos imitatus*, Anysium Thessalonicensem Episcopum Vicarium, seu Legatum suum constituit, eique causas omnes commisit, quae per totum Illyricum orientur, ut patet ex eius *epist.* 1. ad *ipsum Anysium* apud Constantium *col. 736.* Quod idem mirus ipse Innocentius, ac Bonifacius contulerunt in Rufum similiter Thessalonicensem Episcopum, Innocentius *ep. 13. ad Rufum col. 814.*, & Bonifacius *ep. 4. ad eundem col. 1019. loc. cit.*, Sixtus III. in Anastasium *ep. 8. ad Synod. Thessalon. col. 1263. loc. indic.*, Zosimus pro causis Galliarum in Episcopum Arelatensem *ep. 5. et 6. ad Hilariam Episcopum col. 949. et 960. eod. loc.*, Gregorius M. pro causis Siciliae in Episcopum Syracusanum *lib. 2. ep. 7. ad Maximian. Episc. Syracusan. t. 2. col. 373. edit. Maurin. Paris. 1705.* Simplicius, & Hormisda in Zenonem, atque in Salustium pro causis Boeoticae, & Lusitaniae, in alios denique ceteri Pontifices, de quibus omnibus copiosissime, gravissimeque agit PIUS VI. *cit. oper. cap. 8. sect. 2. & seq. pag. 183. & seq.*

(3) Qua de causa S. Leo M. Julianum Coensum Episcopum suum apud Marcianum Imperatorem Legatum constituit, & qua eum potestate praeditum esse voluerit, ostendit ipse Leo *cit. ep. 111.* "Vicem ipsi meam, inquit, contra temperis nostri haereticos delegavi, atque propter Ecclesiarum, pacisque custodiam, ut à comitatu vestro non abesset, exegi & *cit. ep. 113.* ad Julian. Studeat ergo, ait, dilectio tua, frater carissime, & necessaria curam sollicitudini Apostolicae Sedis impendere... ut divino fultus auxilio specularem de Constantiopolitana Urbis opportunitate non desinas." Sed clarius & luculentius Leone antiquior S. Innocentius I. se Rufum Thessalonicensem Episcopum Vicarium Apostolicum constituere declarat exemplo D. Pauli qui Tito, *qua curat apud Cretam, Timotheo que per Asiam disponat*, commisit *loc. cit. col. 816.* Hoc exemplo fretus Innocentius explicat jurisdictionem, quam Apostolico Vicario committit: "ut cum aliqua ecclesiastica ratione vel in tua, vel in memoratis provinciali agitata, cognoscendaque fuerit, quos velis Episcoporum socios quibuscumque de Ecclesiis assumas tecum, quorum & fide, & moderatione, quidquid necessitas, causae flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & precipuus, quinque à nobis electus, definitus intercessor." Tum addit: "nam voluntatem hanc nostram per unamquamque

, que provinciam satis ut decebat, manifestavimus." *ib. col. 817.* Innocentius; vestigiis insistens S. Gregorius M. *ep. 54. Univers. Episc. Galliar. qui sub regno Childeberti sunt lib. 5. opp. tom. 11. col. 783. ed. Paris. 1705.* Apostolico Vicario Virgilio Episcopo Arelatensi amplam tribuit auctoritatem, eisque officia describit, quae sunt, ut sedulo de fidei integritate servanda laboret; ut "si inter Fratres, Consecratosque nos, tros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis suae vigore, visibus nempe Sedis Apostolicae functus, discreta moderatione, ne comescat, ut si qua oriatur controversia, quae aliorum etiam praesentiam, ac iudicium postulet, "congregatis sibi in numero competenti fratribus, & conscriptis nostris, salubriter hoc servata aequitate discutat, & canonica integritate defendat; ut denique si qua sit causa gravior, quae Sedis Apostolicae iudicium requirat, Vicarius rem totam cognoscere debeat, ac "relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari." An iurisdictioni Apostolico Vicario concessa clarius explicari potuisset? Huius quoque juris Sedis Apostolicae preclarum exhibet testimonium Joannes VIII. *ep. 73. Nobili Viro Lamberto apud Labbeum Conc. tom. 2. col. 60.* "Porro quia dixistis, quod sine consensu tuo, Legationes nusquam mittere debemus, ususque hic non fuerit, nec litteris legitur, nec à quocquam superstiti unquam fuisse reminiscitur factum: & ideo Sedes Apostolica libera semper existens liberam ubique suam mittit Legationem, habens Domini auctoritatem dicens: Ego, pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma frates tuos." Paucis haec antigi, quae multo uberius, gravius, accuratius pertractantur in *Laud. opere PII. VI. Cap. 8. sect. 3. & seq. pag. n. 46. & seq. p. 205. et seq.*

§. XXX. Sunt autem Legati vel à latere, vel missi, vel nati. Legati à latere sunt Cardinales, quos Summus Pontifex quasi ex suo dimissos latere, cui semper adherere censetur, aut ad Supremos Principes, aut in ditionis ecclesiasticae provincias mittit. Hi supra ceteros Legatos eminent, & eorum in provinciam adventu silet aliorum Legatorum potestas (1). Utuntur apostolicis insignibus (2), absolvunt excommunicatos propter violationem clericorum (3), & amplissima fruuntur potestate, quam describunt Litterae Apostolicae, per quas Legationis munus accipiunt (4).